

tam tuam, an sapias audias verbi divini prædicationem, proximū ames, peccata fugias, & quotidie emendationi vitæ tuæ studeas. *D. Brochm.*

2. *Quomodo certus esse possum, an in fide ad finem vitæ usq; perseverem?* *ib.*

R. 1. Persvasum habeto, quod Deus, qui incepit bonum opus in te, etiam perficiet illud, Phil. 1. 2. Meditare Christi pro perseverantiâ tuâ intercessionem, Joh. 17. 3. Imbecillitati tuæ oppone potentiam Christi. 4. Peccata vitæ, & pietati vaca. *D. Meisn.*

3. *Quomodo meditatio Electionis excitare potest hominem ad pietatem?* *f. 11. p. 11.*

R. 1. Meritò illud cum gratiarum actione agnosendum, quod Deus nos per Filium suum recolligi curarit, & non sicut lapsos Angelos in æternum à faciè sua projecerit. 2. Ideò Deus nos elegit, ut vivamus coram eo irreprehensibiles in charitate, *Eph. 1. Job. 15.* 3. Non est abutendum hac electione, quasi securè in peccatis pergere non obstaret, quò minùs salutis æternæ participes redderemur, quia hæc Electio facta est cum conditione, & nimirum ad finem vitæ in fide perseveremus. *D. Gerhard.*

IN LOCO

DE LIBERO ARBITRIO.

THEOREMATA.

1. **V**Ox liberi arbitrii ortum suum habet Ecclesiasticum, non Biblicum, trahens eum ex Philosophia Platonica. Stoici namq; fatalem omnium actionum necessitatem statuebant: Platonici, se illis opposcentes, libertatem arbitrii nimis extollebant, cumq; Patrum nonnulli ante conversionem Platonice Philosophiæ addicti fuissent, post conversionem terminos Philosophicos retinuerunt, & inter illos quoq; titulum liberi arbitrii, intelligentes per id libertatem non in spiritualibus, quo Pelagius distortit, sed in naturalibus & civilibus. Vide Chemnitium part. 1. LL. pag. 441.

2. Licet vero terminus sit ἀρεσφ, res tamen in sacris literis habetur, imò vocibus haud dissimilibus exprimitur, ut sunt arbitrii, eligendi, ἐξουσίας πρὸς τὸ ἰδίῃς θελήματι.

3. Notat arbitrium 1. Ipsam mentem & voluntatem. 2. Idoneitatem seu aptitudinem illam, qua excellit homo, neq; enim caudex & truncus est, sed idoneus & aptus, ut ad Deum possit converti. 3. Principium internum, seu inclinationem, qua voluntas in appetendo

Ccc

ducitur